



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput IX. De miraculo, quod contigit eodem die, quo præfatus Prior duos
Clericos investivit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

CAPUT IX.

*De miraculo, quod contigit eodem die, quo præfatus
Prior duos Clericos investivit.*

Nunc miracula, quæ sub regimine prædicti Prioris ob merita
Beati MEINULPHI contingebant, annexere non displiceat :
quodam namque tempore, cum præfatus Prior duos Clericos
pro religione satis idoneos disposeret investire, & benignus
existens in die dictæ investitionis aliquid cibi lautioris conventui suo
libenter procurasset, sed hoc facere non valens sese cum suis Fratri-
bus sustinuit patienter: Et ecce pius Dominus patientiam sui Vicarij
remunerare volens peracto prandio, eadem, quâ investitio facta fuit,
die lupi cervam de sylva expellentes insectationibus suis eam versus
Monasterium Bøddecense fugam facere compellebant, & cum eadem
cerva propè dictum Monasterium pervenerat, prædicti lupi celeriter
eam necarunt; quo facto unus devotus Laicus casu superveniens di-
ctos lupos abigebat, Quod cum prædicto Priori indicatum fuerat,
ipse DEO grates referens, cuius pietati hoc adscribebat, multum læ-
tabatur: nam quia circa prædictam investitionem Prior ejusque Con-
ventus de exigua mensa contenti erant, pius Dominus patientiam
eorum amplioribus cibis recompensare volens, cervam suâ dispositio-
ne ipsis in esum adduci fecit, de cujus carnibus non solum investitio-
nis die (quò ipsis præsertim lætandum fuerat) sed & tribus sequenti-
bus diebus, quibus vesci carnibus licitum erat, sufficienter sunt refecti.

CAPUT X.

*De pio Fratre, quem præfatus Prior investivit, qui
libenter orare consuevit.*

Alius Frater nomine Conradus, qui cum altero defuncto sanctæ
Religionis habitum acceperat, moribus gravis, sermonéque
maturus ex dono DEI non solum humili ac devota sua con-
versatione, verum etiam in forinsecis suis operibus, cunctis,
qui